kat.komp
587077
Mag. St. Dr. | 1
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

587077
I
Mag. St. Dr.

EXHORTATIO

Ad

Nobilissimam Generosissimamque

POLONIÆ NATIONEM,

Occasione Belli, a REGE SVECIÆ CZARO Moscorum nuperrime indicti.

587077
I

Bibl Jag

1974. D. 95. 87. Dr

QUAS Aula Moſcovitica jam diu, ac præſertim annis proxime præterlapſis, inierit agendi rationes, neminem, niſi inani obcæcatum præjudicio, dubitare ſinunt, perexiguum Æquitati & Juſtitiæ ab Eadem ſtatui pretium, conſiliaque ac molimina ipſius, tantum nòn omnia, eò dirigi, ut immoderatis ſuis cupiditatibus plene planeque ſatisfaciat.

Nullam ſane occaſionem neglexit ſuam, contra jus fasque, dilatandi potentiam; Se vero ipſam ceu arbitram, Judicem, & Statoris obeuntem munia, inter alias Summas Poteſtates audaciſſime ingeſſit, ingeritque.

Pacta, Foedera & Tractatus pro lubitu interpretata eſt, vel, ubi id fieri non potuit, nullum eis reliquit locum. Quampri-

primum vicinæ gentes nefariis illius destinatis coeptisque promte annuere detrectârunt, minas statim intendere, eisque insultare haud est verita. Quid multis? improba Moscorum temeritas & confidentia omnem adeo superavit modum, ut de hac sublestæ fidei & arrogantissimi tumoris Aula non aliter videatur judicandum, quam quod sibi persuasum habeat, neminem sese ejus arbitrio vaferrimisque machinationibus opponere ausurum.

Justissimæ caussæ, quibus commotus fuit Rex Sueciæ ad arma contra superbum isthunc vicinum capessenda, in Declaratione Regia nuper edita universo orbi perspicue satis apparent. Iis autem, quæ superius expositæ sunt, rationibus ceteros Russiæ vicinos quoscunque incitari necessum est, ut omnem arripiant opportunitatem tyrannidi huic maximopere obnitendi, ne pace diuturna nimium invalescens Moscus, brevi temporis spatio ita suum extendat

cor-

corroboretque dominatum, ac reipſa, eoque experimento, immanem comprobet omnibus imperitandi libidinem, ut ipſimet triſtem libertatis ſuæ faciant jacturam, atque intolerabili ſubjiciantur jugo.

Præcipue vero arma Svecica Generoſisſimæ Nationi Polonicæ anſam ſubminiſtrabunt longe commodiſſimam, injurias, quibus temerario laceſſita fuit auſu, vindicandi, & ampliſſimas opulentiſſimasque Provincias, a Moſcovitis tam diu injuſte uſurpatas, in priſtinam poteſtatem poſtliminiô redigendi.

Quam effrenata ſit inſolentia, Juribus & Privilegiis liberæ Gentis vim inferre, nemini obſcurum eſſe poteſt: nihilo tamen ſecius id ſibi integrum duxit Aula Ruſſica; Regiones Reipublicæ multoties armata invaſit manu, alienis nihilque ad ſe ſpectantibus rebus ſeſe immiſcuit, turbisque, factionibus & diſſidiis cuncta implevit.

 Et

Et quemadmodum Moscovitæ, quavis occasione, in Polonia cogitata perfecerunt sua; Sic Reipublicæ terris, ad sustentationem agminum suorum, adeo non pepercere, ut blando sub Amicitiæ & Foederatorum nomine, durante cum *Porta* Ottomannica bello, incolas Poloniæ domicilia sua deserere coëgerint, agrosque, bonis eorum dilapidatis & direptis, vastaverint.

Quin etiam de Feudis Reipublicæ pro arbitrio disponere, sibi plane relictum putavit Russia; id quod recentissimis non minus quam evidentissimis documentis, plus vice simplici, jam testantur res Curlandicæ.

Innumera fere ejusmodi indicia, quibus suum in Rempublicam animum declararunt Moscovitæ, non possunt non quemlibet vere Polonum summa afficere indignatione ac solicitudine, quod Patriam carissimam violento eorum fastu oppressam, &

tan-

tantum non ad incitas redactam videat.

Verbis exprimi vix poteſt, quam fauſtum quamque jucundum ſit civi cuivis bono, adeſſe ſubſidia adverſum triſtes, queis affligitur Patria, anguſtias, certasque ſuppeditari rationes libertatem ſecuritatemque recuperandi priſtinam, & ſaluti publicæ perennique incolumitati rite proſpiciendi.

Cumque Rex Sueciæ in eo jam ſit, ut improbam Aulæ Ruſſicæ compeſcat arrogantiam, evidenter certè conſtat, Illuſtri quoque Nationi Polonicæ patefactam eſſe viam, univerſo Orbi luculentiſſimè teſtatum reddendi, infauſtâ & adverſâ fortunâ generoſum Polonorum animum nunquam fuiſſe debilitatum fractumque. Omnium vero minime exiſtimandum eſt, libertatem Majorum ſanguine partam a Poloniæ Republica adeo contemni, ut Ruſſis ſponte obnoxia, cum foeda ſervitute illam commutari patiatur. Nec quisquam, ſine aperta Gentis Polonicæ calumnia & injuria, ſibi aliisque perſuadere

po-

poterit, eam non omnibus viribus in id incubituram esse, ut Regi Sueciæ associata, fortitudine solita armorumque felicitate libertatem sibi suam restituat, illamque firmissimis munimentis præsidiisque stabilire conetur.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0024648